

habeantur, unde nec ad testificationes, nec alios actus legitimos recipiuntur ab hominibus. Fortisan autem & inter malignos spiritus vilissimi reputantur, atque impotentissimi, si nulla alia, quam hujusmodi operari possunt, vel permittuntur. Quemadmodum enim apud bonos, & sapientes homines, nihil possunt mimi & histriones, nec etiam auditu, vel aspectu eorum digni habentur, sed ubique, & undique repelluntur ab ipsis; sic apud bonos, & sanctos viros nihil omnino posse reputantur, qui talia sola exercere possunt: quod enim tam intrinsum est apud eos in hominibus, quid virtutis habere posse putandum est adversus eos: in dæmonibus, & in officiis quidem, & artificiis humanis joculatoria turpissima est, atque vilissima, & à sola plebe indocta recipitur, viri autem sapientes, & boni eam undique repellunt, & exterminant, tanquam labem pestiferam, atque corruptionis bonorum morum venenatissimum seminarium. Scito igitur, quia differentiae malignorum spirituum exteriorum, & accidentales, non potuerunt innotescere nobis, nisi ex operibus eorum, vel pœnis, vel nominacionibus, vel præsidentiis, sive prælationibus, de quibus loquar in sequentibus. **E**t in istis adjuti sumus plurimum ex apparitionibus eorum: quemadmodum in illo, qui se dicit vocari tintinnum, & apparuit quasi colligens minutias, & omnes partes alias psalmorum, quæ elabebantur de ore psallentium monachorum per incuriam, & negligientiam ipsorum. Innotuit igitur per hoc ipsum esse deputatum ad officium talia colligendi, sive ex propria malignitate in odium Deo psallentium illud usurpare, sive ex creatoris iustissimo judicio hoc illi in pœnam impositum esse; ex quo non mediocriter p. officere debent in cantationibus, & hymnologis divinis, quicunque se divinis officiis obsequiis, & laudibus obstrinxere, dum per hoc quod patet, & est eis, non unum solum malignum spiritum insidiatorum habere, qui labia eorum tanta obseruet diligentia, ut nec syllabam, nec literam & fortè, nec vocalem prætermittat, nec apicem, cuius omissionem, & elapsum, quem dixi in accusationem eorum non reservet, propositurus eam ante districtissimum judicem creatorem. Et quoniā dubium esse non debet quemcunque alium ex malignis spiritibus officium illud exercere posse ex unaquaque antedictarum causarum, dico differentias istas exteriorum, & accidentales, esse inter ipsos, & apud ipsos. Non enim possibile est, ut innata sit eis, vel prudentia, vel malignitas, quæ per se sit ad hoc, quapropter nec essentialiter, nec naturaliter diversant eos opera hujusmodi, vel officia: sic & de his, qui spiritus procellarum secundum unam intentionem dicti sunt pro eo, quod tempestates concitant, & naufragia operantur: nihil enim ad substantiam, vel naturam ipsorum, de aquis, aut ventis, aliis igitur non minus naturaliter possibile est talia operari. Eodem modo & de his, qui concremationes urbium, aut domorum, vel efficiunt, vel procurant: quia non per hoc necessarie est, ut substantia eorum, vel natura naturaliter convenientior, vel aptior sit ad ea, quæ sunt per ignem, quam eorum, quos dixi spiritus procellarum; longè enim seorsum à naturis elementorum, & longè incontingens eas est spiritualitas, qua omnes hujusmodi prædicti sunt. De his quoque, qui dīj reputati sunt à deceptis hominibus, quibus templū, & statu, sacra, & sacrificia ab eis constitutasunt, nullo modo putandum est naturaliter hujusmodi spiritus falsissimos, impiissimosque honores illos appetuisse; nulla enim natura naturaliter appetit, quod sibi non est conveniens, aut sibi non

Econgruit: cùm igitur talia, soli supereminenterissimæ magnificenter creatoris naturaliter conveniant, nulla natura alia illa sibi appetit. **A**mplius. Sic naturalis, singulariterque proprium est præcellentia creatoris superesse omnibus; sic naturaliter conveniens est omnibus aliis subesse eidem subjectione ultimæ servitutis: quia igitur ultimitas servitutis, atque subjectionis naturæ non patitur istas glorias vanissimas, & honores falsissimos, quibus adorari, & coli se volunt maligni spiritus, manifestum est eos contra naturale debitum, & rectitudinem, usurpatos ab ipsis in injuriam, ac contumeliam omni gladio, & igne exterminabilem creatoris. Dico insuper, quia hostis, qui ita vehementi odio contra hostem succensus est, diversas vias nocendi contra illum exquirit, & explorat, manens unus. & idem, nunc pugnat gladio, nunc arcu, nunc machinis, nunc suffocationibus, nunc igne, nunc insidiis, nunc explorationibus, nunc prodictionibus; sic unus, & idem malignus spiritus pluribus artificiis, & instrumentis utitur in impugnatione humani generis, & etiam interdum unius, & ejusdem hominis. Non est igitur necesse, ut pro diversitate officiorum, vel operum sit diversitas ipsorum: fortisan autem ad seductionem sapientum astutiores eligit principes eorum tanquam ad illud malignitatis officium aptiores. **Q**uis enim dux belli non eligit ad insultus omnes, atque confitctus, bellatores, quos ad eos magis idoneos esse cognoscet, quamquam multum distet inter duces bellorum nostrorum, & duces illos malignissimos; liberum enim est ducibus nostris eligere ex legionibus, quorum duces sunt, quos aptiores cognoverunt bellatores, illi autem non pro voto suo permittuntur eligere, quos ad impugnationes hominum astutiores, vel fortiores cognoverunt. **M**oderatur enim divina clementia tentationum istos insultus dæmoniacarum pro fortitudine, vel insirmitate hominum, alioquin nullus ex hominibus starer adversus eos, juxta sermonem sapientis, qui dixit: Non est potestas sub cœlo, quæ eis valeat comparari: & multa alia de hoc in eodem capitulo, videlicet sternet sibi aurum, quasi lutum, deridebit vibrantem hastam, non fugabit cum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ cùm enim in potestate naturali habeat transfigurare se in mulieres speciosissimas, quem maximè in ætate juvenili in luxuriam non disolveret: cùm similem potestatem in aurum, & argentum habeat, quem in avaritiam non inflammaret: Et ad hunc modum de aliis, quibus humana desideria pervertantur; sic de flagellis, & tormentis, quorum tantam naturaliter habent potestatem, quis per ea non frangeretur: si cum creatoris clementia pro voto suæ malignitatis in homines seire permetteret. Non est igitur similiter in ducibus bellorum nostrorum, & in ducibus illis malignorum spirituum. Quia scilicet alii ad ludos vel laxantur, vel astringuntur, ut prædicti, alii ad flagella, alii ad tempestates faciendas, alii ad irrisiones, & cachinnos, alii ad fæda sui spectacula facienda, alii ad larvas horrificas in se ipsis ostendendas hominibus, alii ad ducendos choros, alii ad alia nocimenta, ut ad seductions, vel dejectiones hominum, sicut prædicti, vel laxantur, vel restringuntur, semper tamen cum moderamine divinæ pietatis, sicut prædicti: neque enim dare responsa, nec loqui etiam in conspectu Dei amicorum, & electorum permittuntur interdum, & à multis aliis operibus prohibentur, interdum ipsa prætentia sanctorum Dei amicorum, ut eo ipso apparet, eos non solum subiectissimos divinæ potestati, sed etiam dilectis, & electis ejus subditos esse